

THESES MEDICÆ
De
CORDIS VENTRICULI
MORDENTE DOLORE:
ET
COLICA PASSIONE.

De quibus, juvante Deo,

PRÆSIDE

ERNESTO HETTENBACHIO

Phil. & Med. Doct. ac Professore Publ.

disputabunt

Testimonium profectus sui in arte Hippocratica
accepturi

M. AMBROSIUS RHODIUS

Mathematicum Professor Publ. & Collegij Phi-
losophorum p. r. Deca-

nus.

JOHANNES PALEMONIUS
Magdeburgicus.

ANDREAS ZIEGLERUS
Corona-Transylvanus,

Die X. Augusti, horis ante & pomeridianis, loco consueto.

VVITTEBERGÆ.

Typis suis excrispsit VVolfgangus Meisnerus.

ANNO M. DC. X.



hol. spec.

9. 19^m

THESES MEDICAE
CORPUS VENTRICULI
MORBUS ACIDORUM

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

14537

M. A. BRONNUS
Johannes
A. D. R. E. A. S. N. I. B. O. C. F. E. R. U. S.
VITTEBERG
Anno MDCX



De
CARDIALGIA
SEU STOMACHI MOR-
dente dolore.

M. AMBROSIUS RHODIUS.

THESIS I.

Etsi secundum Plinium suus cuique morbus quisq^{ue}, ad presens atrocissimus videatur, cum sine dolore transigere vitam ac rectè semper valere omnes optemus: morbi tamen atrocitas non agrotantis tolerantia, sed illius propria essentia & partis, in qua residet ipse, praestantia, tum facultatis corpus gubernantis dignitate aestimari debet.

II. Quo nomine, qui corporis Oeconomiae naturali imprimis inservit ventriculus, longè atrocissimos sustinere dolores deprehenditur.

III. Nervosus enim ventriculus est, imò superiore parte, quam Stomachum appellamus, nervosissimus: unde αἰσθητικώτατος, quia νευρωδέσατος, itemquè cerebro una generis similitudine omnium συμπαδέσατος.

IV. Sed non minus thoracis visceri, cordi vitæ principio vicinitate συμπαδίσχης, unde καρδίας nomen meruit Galeno prioribus.

V. Et quia sensus acerrimi particeps stomachus est, acerbissime quoq^{ue} doleat is oportet.

A 2

Estque

VI. Estq; dolor hic sanè peracerbus, sed qui tamen atrocitate Colicam non superat: Et si Plinius de veterum experimento omnium asperrimos pronunciet calculorum cruciat q, proximum stomachi, tertium capitis, morte ferè non ob alios conscitâ.

VII. Sed de Colica deinceps. Nunc de cordis ventriculi seu stomachi mordente dolore agemus.

VIII. Nominatur ea affectio Græcis καρδίας ἀλγῆμα, ἢ καρδιαλγία: nunc καρδιωγμὸς; modo καρδιακὴ; Hippocrati privatim δῆξις ἔσθηε: Latini stomachi dolore n appellavere; Germani das Herkwehe.

IX. Est enim Cardialgia tristis sensatio ab unitatis dependens solutione cum qualitate mordente admodum noxia ἔ infesta.

X. Forma manifesta per se est, ut ἔ locus affectus, qui ventriculi os est supernum, cuius proprium Symptoma est Cardialgia.

XI. Causa continens ἔ immediata unitatis est solutio.

XII. Antecedens, ichor vel vapor, vel humor acris mordax, ἔ is plerumq; biliosus.

XIII. Ad quam partis quoque ἐναισθησίαν referimus, que secundum magis ἔ minus in singulis variat.

XIV. Et præter hanc corporis temperamentum calidum ἔ siccum, tum et jam vermes.

XV. In Externis, præter aërem æstivum cibus est, ἔ medicamentum acre, inedia longior; venenum item assumptum aut morfu inflictum.

XVI. In exquisito partis hujus sensu dolor evidenter perceptibilis est cum morfu ἔ angore.

XVII. Sæpè obscurior idem ἔ minus evidens, in sensu obtusiore, non sic ad acrium humorum illapsum sese subducen-
te aut fatiscen-
te aut fatiscen-

XVIII. Interim anxij sunt hi ac marent, quod calidum innatum in anxiosis affectionibus magis dissolvatur, quam acrimonia mordeat.

XIX. Utraq, autem vel continenter affligit, vel per intervalla, periodica dicta.

XX. Hinc una mitior altera, aut gravior.

XXI. Discernit ab hac affectione spuriam cardiacam illam, quam in recens natis, nostrates fœmine das Herbsgesperr / oder Herbspahn nominant, tumor frigidus cordis lacunam sepè planè obliterans.

XXII. Præterea tensio, angustia, difficilis respiratio, anxietas: dolor gravativus ex humore crasso pituitoso; tensio, angustia, difficilis respiratio, anxietas.

XXIII. Sed cardiacam propriè dictam nimia corporis imbecillitas, stomacho ex immodici sudoris digestionem, alibi-
lisq, succi defraudatione languente.

XXIV. Quam comitatur pulsus languidus & densus, cum extremorum frigiditate.

XXV. Etsi enim hæc ipsa signa in Cardialgia quoque manifesta sint, non citra tamen dolorem, non citra morsum illa, nec citra anxietatem deprehenduntur.

XXVI. Itaq, præter dicta, ingens corporis inquietudo apparet, subinde corporis quiescere desiderantis schemate mutato, in magna quantumvis impotentia ejusdem.

XXVII. Dolorem autem & anxietatem ægermet ipse, nisi mens læsa fuerit, manu ad cordis lacunam, qua ventriculi os dehiscit, ostendere solet.

XXVIII. Et angor quidem si solitarius extiterit, dissolutionis calidi insiti effectus est.

XXIX. Nam cum dolore angor, ab unitatis esse solutione in parte sensus acutissimi rectè colligitur.

XXX. Idem angor solitarius vaporem, sed qui cum cor-

dis dolore simul lumbos dolentes habet, ichorem causam agnoscit.

XXXI. Ipsum autem humorem vertigo, inappetentia, oris amaritudo, bilis vomitus cum aestu sitiq; satis superque monstrant.

XXXII. Nam acrimonia humoris citra lipothymiam & syncopen, quam stomachicam vocant, nunquam sese prodit.

XXXIII. Sape cum stomachi sensu exquisito comitialis supervenit, quod historia Grammatici illius apud Galenum confirmat.

XXXIV. Quae gravissima symptomata, dum humor venenosus est, ipsa quoq; sese sponte sua, non concurrente tum partis εὐαισθησία, cum extremorum frigiditate, exerunt.

XXXV. Vermes si delitescant, corrosione partis & animae fetore manifestantur.

XXXVI. Non raro per ora puerorum visi sunt serpere lumbrici: sed & in adultis eadem via lacertas prodisse vivas, nec se obscure moventes, recenti nostra memoria constat.

XXXVII. Quapropter eventum non difficile fuerit conjectura augurari.

XXXVIII. Est enim omnis καρδιαλγία periculi plena: sed peior cum febre continua.

XXXIX. Pejor etiam in qua cum angore & dolore animi defectiones reciproca vicissitudine identidem permutantur.

XL. ὀλέθη & planè, diuturna, quia inflammationis ventriculi ἐπιγόνημα.

XLI. Pessima omnium à vermibus: quia haec statim occidit Iralliano.

Curatio.

XLII. In καρδιαλγία quia virtus languet, huic inprimis attendendum Medico est: mox orificium ventriculi
robora-

roborandum : tandem humor acris aut temperandas aut
evacuandus.

XLIII. Nam vena sectionis hic nullus locus, nulla ratio,
cum sanguis non sit qui peccat, & virtus langueat : in quo
cum Grecis Arabes conveniunt.

XLIV. Sit igitur aer frigidus seu temperatus. Locum
Celsus eligit non calidum fenestris patentibus, sic ut perfla-
tus quoque aliquis accedat.

XLV. Extrema frigida manibus oleo perunctis perfri-
centur, ut recalescant : hinc ab externo frigore muniantur
ac foveantur.

XLVI. Naribus odora menta quoque admoveantur, qui-
bus spiritus promptè reficiuntur.

XLVII. Cibus inter initia offeratur, qui præterquam
quod refrigeret, ventris quoque os roboret.

XLVIII. Has conditiones promittunt mali punici gra-
na & succus; citria absque cortice, cydonia, poma, pira, utraq;
acidula, & mediocriter adstringentia alia.

XLIX. In magno aestu, & humoris enormi acrimonia,
panem ex simplici aqua frigida veteres exhibebant.

L. Et Hippocrates mulierem Cardialgicam polenta farinam
consersionis succi mali punici semel in die cibata curavit.

LI. Exiccatione enim humor copiosus & acris indige-
bat; calor autem partis, contemperacione, & ad centrum
confirmatione.

LII. Ab horum usu paulatim ad ea accedendum, que æ-
grè coctibilia mordacitatem humoris retundunt, erosioni re-
sistunt, & simul ipsam partem roborant.

LIII. De quibus sunt ventriculi anserum, pedes suilli,
pedes vitulorum decoctionis ptisana: lactuca item cum ace-
ta; carnes avium montanarum, pullorum gallinaceorum
cum acore mali punici, limonum vel ombacio condita.

LIV. Primas tenent destillata caponis, cancrorum, limacum. Laudantur quoque liquores instaurativi ex iisdem cum appropriatis parati, & cum succo mali punici exhibiti.

LV. Cum eodem succo conditus hordei cremor utilis est qui frigidus actu datur.

LVI. Mercurialis lac acetosum propinat, quia refrigerat, & crassa succi visciditate acrimoniam hebetat & infringit.

LVII. Qui in ediam impune diu non ferunt, hi mature cibandi sunt. Exhibet his autem Galenus panem probe coctum & optime preparatum, tertia vel quarta hora a somno.

LVIII. Sed in siti panem cum vino albo, diluto & modice astringente porrigit, quia ventriculum roborat, nec caput tentat.

LIX. Quicumque autem cibus datur, nutriat is, non oneret, de Celsi precepto.

LX. Potus sit hordei aqua, aut decoctionis seminum coriandrorum preparatorum cum cinamomi momento.

LXI. Nisi autem necesse sit, ad vinum non festinandum.

LXII. Interim tamen vini usum jure suo quodam exigunt, sitis immodica, virtus deficiens, appetitus dejectus, ac tantum non prostratus, ciborum assumptorum denegata retentio.

LXIII. In vinum autem intincti cibi exhibeantur; aut ipsum etiam vinum, idque austerum quidem, sed tenue tamen & meracum, actuque frigidum liberaliter concedatur.

LXIV. Si tam cibum, quam potum omnem respuat aeger, clysteres ex nutrientibus jusculis infundantur, quorum vapore spirituosam substantiam caloris insiti satiatur ac reparatur.

LXV. Quiescere optimum est Cardialgicis. Dormiant autem ad satietatem.

65. Mo: us

LXVI. *Motus omnis tam animi, quam corporis extreme fugiendus: alvus vero sit memor officij quotidiani.*

LXVII. *Nimia tamen inanitio semper periculosa: hinc sudor præter consuetudinem & modo & tempore prorumpens omni ingenio sistendus.*

LXVIII. *In quem finem Celsus corpus unversum ex oleo omphacino, rosaceo, myrthino, melino, & simili perungit.*

LXIX. *Insuper pulvere ex myrthi aut rubi folijs, aut arida vini fece cõspergit: & si nihil horũ juverit, gypso oblinat.*

LXX. *Et jam tandem humor vitiosus evacuandus venit: quæ tamen opera, quantum per vires licet, semper cum refrigerantibus & roborantibus permiscenda, ut pedetentim ille corpori subtrahatur.*

LXXI. *Ante omnia autem vomere æger jubeatur: si sponte nequit, ἐμετικὸν paretur.*

LXXII. *Si revomat, repetatur idem, totiesq; cum necessario apparatu iteretur, dum expectationi Medici fiat satis.*

LXXIII. *Si vomitio plane desperetur, per alvum humor evacuetur; & quidem cum clysteribus lenientibus, modo et jam acrioribus, pro ratione: modo et jam purgantibus per os datis.*

LXXIV. *Ab aloë tamen & biera in magna humorum acrimonia & febre rectè sibi temperant Medici; quorum locum suppleant thamarindi & cassiæ flores, in boli forma: nonnullis pillule ex rhabarbaro placent.*

LXXV. *Inde roborantia repetenda, assumptis intrò quidem conservis refrigerantibus & constringentibus.*

LXXVI. *Foris autem lacuna cordis & subinfra oleis prædictarum qualitatatum inungatur.*

LXXVII. *In Cardialgia à veneno & vermibus alexipharmaca juvant ex seminibus citri, acetosa: item corallis, sandalis, terris & lapidibus pretiosis, bezoarticis; & in febris absentia, antidoti magne, theriaca & mitbridacium.*

B

An

An amuleta hîc non aspernanda, Græcis veteribus tantoperè expetita, ? horum enim exemplo corallus hodiequè pueris ad ventriculi regionem gestatur..

An quoque narcoticorum usus aliquis hic esse possit ?



De
COLICA PAS-
SIONE.

JOHANNES PALEMONIUS
Magdeburgicus.

Thef. I.

Haud mitior est ventriculi dolor, qui laxum & crassum intestinum colon infestat, Colica inde passio denominata.

II. Et ipsa enim saepe cum funesta syncope gravissima ægrum morti proximum sistit.

III. Visa est, quæ acerbitate sua mox primo aggressa prebensum hominem, quasi momento de viventium commercio excedere cogeret.

IV. Galenus autem fuisse scribit, qui dum sævissimi cruci-

cia-

etiam enta morbi amplius non tolerarent, ipsi manus sibi violenter afferre non dubitarint.

V. *Scilicet est Coli intestini dolor longè atrocissimus, quo non carnificum tormenta exquisita majora aliquis jure merito existimet.*

VI. *Ipsam autem affectum definiunt crassioris intestini sensationem corruptam, quæ ab unitatis dependeat solutione, cum secum difficili excretionem.*

VII. *Quam definitionem neq; nos improbamus, cum formam, subjectum & causam efficientem immediatam & proximam complectatur.*

VIII. *Nam remote sunt interne alie, de quibus est omnis intemperies, unâ humidâ exceptâ, & illa verò magis cum materia.*

IX. *Materia humor est corporis nostri plerumq; lentus & pituitosus intrâ intestinum & membranas ejus receptus & impactus mole motuq; tendens & divellens.*

X. *Qua indole Praxagoras vitreum nobilitavit: à quo ventrem sibi inferiorem aliquando quasi terebro perforari metipse Galenus peracerbè tulit.*

XI. *Cit flatus uterq; qui territorij angustia coerciti, quia huc illuc, susq; deq; feruntur subsultim tumultuantes, quando qua se abripiant, non habeant, acerbissimorum fiunt autores dolorum.*

XII. *Interdum pali infixi phantasiam exhibent ijdem: hinc teli nomen, Sereno meruerunt.*

XIII. *Sed non minus acerba intestino inflammatio esse quandoq; solet. Quæ Colicâ quidem omnis siccâ est: sed illa præterea ventosâ.*

XIV. *Nihil enim hic quicquam in magno retentricis robore, & expultrici languore egeritur: sæpe flatus incerto rugitu obmurmurare obauditur.*

XV. Rard & vix agrè sine magno multoque conamine scybala retorrida flatibus prægnantia extorquentur, a quibus si projicias velut equorum poma supernatantia.

XVI. Juvant fecum detentionem obstructio, & defectus naturalis clysteris bilis, quæ tum intestina nec alluit nec abluit: tum eorundem inter se tortuosa complicatio, & vicinarum quoque partium tumores, qui vel tantilla pilula egressum prohibent.

XVII. Augent eandem ἐντεροκήλη dicta & intestinalis hernia, & vermes tanta sæpè mole congesti, ut intestini cavitatem distendendo coarctent: quod Arabes notarunt.

XVIII. Observatum Hollerio est, quando vermium multitudo in nonnullis tunicam intestino haud absimilem totoque eo extensam contexit, quæ illud prorsus sigillaretur.

XIX. Sed & calculus in hoc genere Galeno prioribus est jam olim habitus: etsi eundem abs se visum esse neget ipse, nec ab alijs unquam auditum, qui viderit.

XX. De quo tamen certior est posteritatis experientia. Aëtius enim & Arabum princeps calculi meminere: Oculis autem vidit alvo excretum Fernelius; imò plures una vice exclusos viderunt alij non ignobiles quoque in arte viri.

XXI. Alia quadam Colica humida est, quæ biliosi & acres succi intestina ad deijciendum cogunt; Fecalis Avicennæ dicta: etsi de sicca quoque Colica cum fecum detentione vox hæc eidem usurpata legatur.

XXII. Feces enim biliosæ nunc facile, nunc difficulter, nunc et jam planè non procedunt, pro exiccantis causa vehementia modò majore, modò minore.

XXIII. In maxima astrictione glandes & clysteres, vomitu redditos multorum observatione constat.

XXIV. Paulus ex Æginâ Medicus Colica maligna aut pestilentis meminit, cui fuerit vel in epilepsiam, vel resolutionem artuum, servato sensu, delapsus. Ejus quoq; Avicennas mentionem facit.

XXV. Prædictis igitur causis fomentum præbet Diætama, hoc est, multa & varia & perversa, qua suis distincta notis ipsa sese sponte sua in singulis prædit.

XXVI. Nauscant enim & vomituriunt ferè pleriquè omnes Colici, varia & corrupta rejicientes pro cacochymia, quâ suum cuiq; corpus scatet.

XXVII. Et in pituita quidem multitudine dolor vagus est & instabilis, ad latera & ventriculi fundum, oberrans.

XXVIII. Sed flatus naturale suum receptaculum, in quo arctè conclusus tumultuosè obmurmurare auditur, majore vi, & cruciatu planè immani, magnosq; doloris sensu distendit ac divellit.

XXIX. Quibus sic dolentibus nihil quicquam, ne flatus quidem, vel per superiorem, vel inferiorem gutturem erumpere percipitur.

XXX. Nonnullis, ex imo ventre, toto anfractu in ventrem resiliens flatus, ructu emittitur: quibus jam pro crepitu ructus est.

XXXI. Hos igitur dolores ciborum, peperit frigidorum & flatulentorum satietas nimia, vitæque inertis otio aetate transacta.

XXXII. Sed stabilem & in una intestini parte fixum, præbet alteq; excruciat, vitreus humor dictus.

XXXIII. Hic non leviter saltem lateribus intestini lentore suo adherescit, sed radit, & rodit ea in parte, in quam terebelli perforantis more sese penitus insigit.

XXXIV. Non ructibus mitescit dolor hic nec flatibus emissis mulcetur, crapula & Veneris intempestiva certa crudag, soboles.

XXXV. Ab acri verò humore acutus dolor non uno loco lancinans, cum alui fluxu urente, mordente ac multum molesto; ab apostemate aut inflammatione dolor magis constans, sed non sine febricula ardore siti, & vigilijs: quae hic semper sunt majora.

XXXVI. Familiaris est hic curiosis & negotiosis. Exasperatur autem calidorum usu, vini praesertim veteris & fortis, à quibus est oriundus.

XXXVII. Urinae hic sunt biliosae, sed quae tales alibi conspiciuntur, planè suspectae. In inflammatione autem supprimuntur.

XXXVIII. A vermibus signa conspicua sunt, ipsi enim sua sese substantia produnt. A calculo in intestinis reliquarum causarum nullum signum aliud est deprehendere.

XXXIX. Affinitate tormenti Colici cum nephritico Galenum olim deceptum legimus.

XL. Nauseant quidem & vomunt utrinque dolentes, sed colici graviter magis & continenter. Juvantur iisdem clysteribus, qui nephriticis tamen sine fructu injiciuntur.

XLI. Omnia Colicis detinentur excrementa: & si quid aluo dejicitur flatuosum aquis supernatans bubuli stercoreis consistentiam habet.

XLII. Urinae nephriticis initio albae & aquosae, saepe cruenta; sequentibus autem diebus cum sedimento crasso & inequali; demum sabulose minguntur: in his quoque stupor crucris è regione renis affecti est perceptibilis.

XLIII. *Dolore liberatur uterq; ; Colico humorem frigidum aluo; nephritico, cum urina lapidem excernente.*

XLIV. *Sunt ventris dolores sublimes leviores, non sublimes fortiores de Hippocracis sententia.*

XLV. *Flatulenta colica superveniens febris bonum, quia curat.*

XLVI. *Frequentior est etiam à frigida, & lenta pituita, reliqua variores. Quibus dolor intestini diuturnus & perseverans justis remedijs non cedit, malum.*

XLVII. *Flatulenta enim Colica, non raro in tympanitem & siccum hydropa degeneratione transit.*

XLVIII. *Gravissima Colica ab inflammatione existimanda est, quando in ileum μετέστωσιν habeat omnino crudelem, si praesertim anhelitus simul foeteat.*

XLIX. *Haud mitior sicca diuturna cum ἐφιδρώσει & sudatiuncula ad collum & caput, mox insecuturae syncopes praenuntia: tum ea quam acris peperit & mordax humor, quantumvis humida excrementis existat.*

L. *Opinionem enim sinistri judicij transitio ejus affert, & ne vel in convulsionem abeat, vel in paralytin, aut articulare morbum facessat omnino metuendum.*

LI. *Cui dextrâ situm intestinum dolebat, hic oborto morbo articulari, quietior erat; sed eo quiescente rursus inde fuit afflictior. In epidemijs*

Hipp.

DE

De
C U R A T I O N E.

ANDREAS ZIEGLERUS
Corona-Transsylva-
nus,

T H E S I S L I I.

Curatio Colicæ causam ejusdem respicit, quæ pro sui varietate ipsam quoque curationem necessario variat: & qua sublata simul cum symptomate morbus evanescit.

LIII. Patet hinc, cur, quæ semel in Colicâ profuisse deprehensa sunt auxilia, non a quæ felicem successum semper obtineant.

LIV. Plerunque autem, ubi dolor immaniter urget, prius symptomati attendere Medicus cogitur, quàm affectui ipsi medeatur.

LV. Nihil enim perinde vires debilitat atquæ dolor; quibus prostratis natura favore medicamenta suo non dignatur. Non enim potest.

LVI. Omne igitur punctum tulerit Medicus, qui simul dolorem mitiget, simul causam ejus tollat.

LVII. Nam qui blandiententes dolori relicta ejus causa, in leniendo duntaxat occupantur, hi reducem eundem, gravio rem ferè per sentiscunt.

LVIII. Quod vulgo usu accidere videmus, qui certis remedijs dolorem quidem tollunt, causam autem intactam relinquunt.

59. Ergo

LIX. Ergo quem crassus humor genuit dolor, protinus is leniente clystere ex temperatè calidis emollientibus demulceatur.

LX. Damnantur enim initio carminantia, quia intempestiva; quia calidiora, & acriora.

LXI. Sit quantitas Enematum vulgari minor. Majori enim utilitate redduntur, quæ diutius retinentur.

LXII. Non infundantur hæc, cibo neque dum in ventriculo confecto, & fluctuante: sed vomere tum jubeatur ager, si nauseet, si gracilis sit, si vomere assuetus.

LXIII. Quibus si nihil profeceris, repetantur clysteres; non etjam nunquam acuuntur ijdem.

LXIV. Repeti autem citra noxam effatu dignam, etjam acutiores possunt, interposito tamen inter unum & alterum justo intervallo, ne intestina excoorientur.

LXV. Sunt qui omnem Colicæ curationem solis clysteribus absolvendam velint.

LXVI. Nam crassiores quoq; humores consecutione quadam clysteres evacuant; non humores agitant; non aliunde ad intestina attrahunt; non febres accersunt.

LXVII. Ubi horum usum fastidiat ager, certè pudor hic est noxius ipsi; quia intempestivus.

LXVIII. Sin admissum non retineat tamen; suppositoria dicta auxilio venient, sed mitia primum, mox acutiora.

LXIX. Sed à quibus, perinde ut clysteribus, acrioribus præsertim, omninò abstinendum, ubi ad fluxum dysentericum Colica supervenerit.

LXX. In hoc igitur casu, & in magnâ causa pertinaciâ, cui nihil ferè quicquam clysteribus extorqueri potest; & satis forti obstructione, purgantia per os non infelici successu sæpè exhibentur.

LXXI. In magna tamen humoris crassi copia, quia semel & simul omnis exhauriri nequit, qui reliquus est humor, preparatur.

LXXII. Vitetur autem impensè calefacientium, & desiccantium usus, quia fundunt quidem, sed non discutunt.

LXXIII. Ergo sunt, qui Syrupos minimè dilutos proprimandos velint.

LXXIV. Sunt contra, qui decocto pulegij, origani, etc. mistos præbeant eosdem; diluto herbarum prædictarum immoderatiorem qualitatem quadantenus temperante.

LXXV. In quem usum, oxymelitis genera quibusdam expetuntur; alijs ideo damnata, quod nervosis partibus infesta credantur: sed quorum tamen, acor dilutior colicis non minus, quàm mel rosarum impunè hauriri possit.

LXXVI. Digestionem hanc juvant Electuaria, Diacymini, Diacinnamomi, Diatrionpipereon, etc. ab haustibus singulis quacunq; et jam forma usurpata.

LXXVII. Sic igitur attenuata, & ex parte cocta materia, evacuatur partim Catharticis, partim clysteribus, iisque acutioribus, quorum nunc est aptus & optimus usus.

LXXVIII. Agaricus autem crudus in clysteres non ingrediatur, cujus scissiles festucae, quia intestini substantiae altius infiguntur, vellicando dolorem exasperant.

LXXIX. De purgantium catalogo relegantur quoq; Cassia & Manna, quia flatulenta.

LXXX. Etsi à sene quoq; folijs quidam sese non abstinere, quod tormina cieat; ut neq; à Rhabarbaro dicto, quia
abster-

abstersorium nil habeat: sed pillulis de hiera mistum Rhabarbarum vim ejus exacuere non leviter solet.

LXXXI. Terebinthina hic plurimum commendatur, cum hiera vel Rhabarbari momento assumpta, tum praesertim, cum ex habitu corporis ad intestina versa fluxio est; derivationi enim inservit.

LXXXII. Si malum fortiora postulet, hiera Diacolocynthidos drachma una fingi in pillulas poterit, & Diagrydij granis, pro ratione stimulari.

LXXXIII. A purgatione iam demum tempesteriva balnea seu semicupia dicta, sunt, ex lenientibus, chamemelo, origano & similibus parata.

LXXXIV. Ex iisdem confiunt fomenta tam humida, quam sicca ventri imposita: tum litus & emplastra in eundem usum.

LXXXV. Zibetum per se umbilico cum magno doloris blandimento infricatur.

LXXXVI. Post tentata remedia omnia, sedandis doloribus unice commendatur decoctum chamemeli, vel latex ejus destillatione elicitus potusq.

LXXXVII. Et haec curationis historia de crassioribus quoq. flatibus instituenda est.

LXXXVIII. Nisi quod in posteriores clysteres carminantium dosis major ingreditur.

LXXXIX. Qui quidem solitarij sunt flatus, eos cucurbita cum flamma copiosa identidem dolenti loco ad-mota, velut incantamento quodam curat, Galeni experientia.

XC. Curat verò etiam, quos flatus cum humore, à quo is ortus est, pessimè habet. Sed nisi hoc ab illius digestionem mox excluso, dolor revertitur redux.

XCI. Quo sine ex solo rutaceo, vel simili tenui oleo alio, cui ruta inferbuerit, enemata infunduntur.

XCII. Quamvis enim tum dolor ferè exasperetur, tamen cum vitreo humore excluso, ager & dolore & affectu liberatur.

XCIII. Horum & similium oleorum usus foris etiam utilis est, Castoreo praesertim intrito.

XCIV. Sed & aromatica confectiones dictæ flatum discutere apte sunt nata: de quibus sunt, Diacalamantum, Diagalanga & similes.

XCV. Digerit hoc aliquando febris, usu calidorum accensa, sed quæ tamen non sit adeo pertimescenda de Hipp. autoritate.

XCVI. Calida & sicca victus ratio utrique cause competit.

XCVII. Ex carnibus una Galeritæ Alaude, sylvestrem vocant, praefertur Galeno, in jure elixa.

XCVIII. Cibum medicamentosum fecerit allium juri incoctum, & succus expressus cum castorei momento haustus.

XCIX. Rei fidem facit rusticus ille Galenicus, qui corpus in Colica arctè stringens, alijs cum pane utiliter vescebatur.

C. Sed nisi finito tormento, rectè neque cibus neque potus assumitur.

CI. In calido dolore contrarius victus praestat; etsi calidorum usus hic quoque non omnino improbetur, τὸ γὰρ θεῖον μὲν ἀνώδυνον.

CII. Et ab inflammatione quidem, dolore supra umbilicum existente, vena in cubito secetur.

CIII. Sed infra eundem cum urina suppressione, quæ ad malleolum est, aperiatur, de Pauli consilio.

104. Hinc

CIV. Hinc clysteres infundantur ex refrigerantium decocto, hordeo, lacte, sero, cum saccharo rubro & oleo violaceo.

CV. Quidam aquam frigidam propinant, quod in febris continente & plethora haud absurdè factum à Galeno legimus.

CVI. Placando dolori Paulus cerotum imponit ex oleo chamomelino, rosaceo, farina fabarum, succo seminis lini & vitellis ovorum.

CVII. Ab acri verò humore, mox ab initio purgare oportet, non expectata humoris preparatione.

CVIII. Et primò vomitu quidem; deinceps deiectione cum Rhabarbaro, Tamarindis, hiera, etc.

CIX. Inde dolor mitigetur lacte chalybeato, aut ptisana succo hausto.

CX. Si dolor ex acrium humorum affluxu residuus fuerit, astringentia tum non incommodè exhibentur Galeni exemplo.

CXI. Quibus nihil hic proficientibus, vagantia demum concedenda; quae Arabes cum pharvacis miscent, & vel cum clysteribus infundunt, vel nodulis concepta alvo immittunt.

CXII. De quorum sorte sunt, Mithridatium & Theriaca primaetatis, Philonium Romanum, & similia.

CXIII. Singulare ceu secretum commendatur destillatum ex allijs cum opio.

CXIV. Ab excrementorum multa retentione, multo, illa oleo infuso cum clystere valido excutiantur.

CXV. Si huic non obsequantur excrementa, balneis corpus benè emolliatur.

CXVI. Quod si neque dum res voto respondeat, follis Hippocrateus inferendus, ut ab intestini parietibus pertinacius

nacius;

nacius inherentes feces, sic separata relictæque trahenti medicamento, jam sponte sua pateant pareantq̃.

CXVII. Quæ quidem ipsa curatio & dolori à calculo dicta sit dicataq̃.

CXVIII. Nam qui à vermibus existit dolor, prius is sopiri nequit, quàm sint illi de corpore expulsi.

CXIX. Horum autem propria est & privatim dicata curatio, de qua alibi agitur.

CXX. Et jam tempus est, ut illa, quæ totà substantiâ tam causse quàm morbo medentur, in medium adducamus.

CXXI. Quæ etsi de vulgo familiaria sunt, vulgaris & ipsa, non sine tamen infelici semper successu usurpantur.

CXXII. Ex horum classe stercus est lupinum tanto pere Galexo celebratum; tum Cornu cervi ustum & preparatum; & umbilicus infantis nuper nati, exsiccatus, pulverisatus & haustus.

CXXIII. Quibusdam commendatam legimus tunicam amnion, quâ ex infantibus nonnulli amicti nascuntur, in pulverem redactam & potam.

CXXIV. His amuleta quoq̃ annumeramus, de quibus, quia superstitiosa pleraq̃, sua cuiq̃ & singularis sit experientia fidesque.

FINIS.

Τῶ θεῶ δόξα.

ERRATA

In Curatione Colicæ,

lege Thef. 53. æquè Thef. 57. blandientes.